

PARS II.

LIBRI IOSUE, IUDICUM ET RUTH

Tantum id conantes pro modulo nostro efficere, ne aliqua absurditas vel repugnantia putetur esse in Scripturis sanctis, quae opinionem lectoris offendat, et dum existimat fieri non potuisse, quae facta esse Scriptura commemorat, vel resiliat a fide, vel non accedat ad fidem.

S. AUGUST. L. V, de Gen. ad lit. cap. 8.

SECTIO I.

DE LIBRO IOSUE

Auctor huius libri incertus est: communior tamen sententia tenet, ipsum *Iosue* (1) hunc librum conscripsisse, et ad calcem Pentateuchi adiecisse; quamvis fatendum sit, aliqua ab altera, quam *Iosue*, manu (2) addita fuisse, inter quae est mors *Iosue*, et quae hanc secuta sunt. Narrantur autem in hoc libro capitibus 24 transitus *Iordanis*, expugnatio civitatum *Iericho* et *Hai*, prodigiosa solis statio, chananaei ab israelitis debellati, illorumque terra occupata, et inter duodecim tribus israelitarum distributa. Itaque hic liber gesta *Iosue* per annos septendecim, quibus principatum gessit, complectitur.

(1) *Iosue* filius *Nun* seu *Nave* (nam graeci pro *Nun* ponunt *Nave*) a Scriptura passim (Exod. c. 24, v. 13; Deut. c. 1, v. 38, etc.) *Moyse* minister seu famulus appellatur. Primum illius nomen (Num. c. 13, v. 9 et 17) erat *Osee* (graeci pro *Osee* legunt *Ausem*, hebraei vero *Hoshea*) cui *Moyse* divino suggerente spiritu ex τετραραμμωνων Dei nomine syllabam sive litteram *Iod* praefixit, sicque illud in nomen יהושע *Iehoschuah*, seu *Iosue* h. e. *Iesus* sive salutem Dei mutavit Num. 13, v. 17. Hinc etiam a graecis *Iosue* Ἰησοῦς *Salvator* nominatur. Et profecto *Iosue* non

1. QUARES I. *An transitus Iordanis* (*Iosue* 3, v. 16 et 17) fuerit miraculum? R. Fuit grande miraculum. Quamvis enim auctor libri *De la philosophie de l'histoire* h. e. *Voltairius* cum deistis et socinianis, qui miracula omnia ut plurimum eliminare student, hoc prodigium more suo elevare conetur, dicens, sine miraculo tantillo fluvio (nimirum *Iordani*) 40 pedes lato pontem facile imponi, quin et israelitis vado transmeare potuisse: contrarium tamen constat ex relationibus eorum, qui *Iordanem* eo etiam loco, ubi ab israelitis sicco pede transitum est, accurate explorarunt; prout cl. *Bullet* pluribus horum adductis

solum nomine, sed re et gestis egregium *Iesu Christi*, seu *Salvatoris mundi* typum gessit. Nam debellavit hostes israelitarum, seu populi electi; huic salutem attulit, eundemque in terram promissam introduxit. Unde *Ecclesiasticus* c. 46, v. 1 et 2, de eo magnificum textit elogium his verbis: *Fortis in bello Iesus Nave, successor Moyse in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur haereditatem Israel.*

(2) *V. Calmet* praefat. in lib. *Iosue*.

testimoniis (1) invicte demonstrat. Inde enim constat, *Iordanem* ordinarie quinque circiter supra septuaginta pedes latum, valde rapidum et profundum esse, ut proin nullibi vadosus sit; saepius autem crescere et supra ripas effundi, prout effusus erat illo ipso tempore (2), quo israelitae eundem transibant. Ex quo simul patet crassa ignorantia *Voltairii* asserentis, tunc *Iordani* pontem facile imponi potuisse. Accedit, quod fabrica pontium hebraeis tunc incognita, vel certe inusitata fuerit. Nomen enim *pontis* in tota Scriptura non nisi semel occurrit, et quidem seris temporibus *Machabaeorum* (3); quamvis in libris canonicis hebraeorum non raro de bellis sermo sit, quae hebraei trans *Iordanem* gesserunt, ubi proin obvia occasio fuisset de pontibus (siquidem per hos exercitum transmisissent) faciendi mentionem.

2. QUARES II. *An muri urbis Iericho* (*Iosue* cap. 6) absque miraculo collapsi sint? R. negative. Quamvis enim quidam (4), ut parcant prodigiis, causam collabentium murorum repetant ex certa soni a cla-

(1) Réponses critiques tom. 1, num. 29, ubi oculatos testes hanc in rem adducit, nimirum *Antonium Regnault*, *Doubdan*, *Maundrell*, *Morison*, *Naud et Shaw*, qui de *Iordanis* profunditate et rapido cursu luculenter testantur. Sic *Regnault* *Iordanum* comparat *Tiberi*, atque illius aquam esse valde rapidam et profundam; *Schaw* asserit, se in *Barbaria* nullum *Iordane* maiorem fluvium vidisse, excepto *Nilo*. Similiter loquuntur ceteri.

(2) *Iosue* c. 5, v. 13. *Iordanis* autem ripas alvei sui tempore messis impleverat. Hic notandum, quod sicut *Nilus* et *Tigris*, ita etiam *Iordanis* exundare solet; prout legitur I. Paral. c. 12, v. 15; item *Eccli.* c. 24, v. 56. Atque idipsum testatur etiam *Aristaeus*, qui 70 Interpretum historiam conscripsit. Nimirum in illa regione tempore messis hordeaceae, seu mense *nisan* (qui nostro fere martio respondet) ob nives, quae sub id tempus a monte *Libano* liquatae defluunt, *Iorda-*

more populi et clangore buccinarum orti proportionem ad muros sternendos; tamen risu potius explodenda, quam refutanda est haec explicatio. Quis enim unquam physicorum aut mathematicorum tantam sono inesse vim prudenter suspicatus est, ut compagem onium solvat? Dein quis duci *Iosue* tam insigne stratagema ex arcaniore physica petitum suggestit? Ad haec si vi soni tubarum vocumque deiecti fuerunt muri urbis *Iericho*, cur non potius corpora proxima, in quae sonus citius incurrebat, nimirum arbores obviae aliaque inter castra israelitarum et urbem posita, fuere prostrata? cur non ii ipsi, qui clamarent, se ipsos sternebant, et alii alios? Denique cur praefecti militiae, qui artem militarem hodie ad summum fere perfectionis gradum evehunt, urbibus obsidendis et expugnandis adducunt tot numero tormenta, mortaria, tantum pulveris pyrii, glohorum missilium et tormentariorum apparatus? Nonne faciliore longe opera, et minori sumptuum dispendio advocari possent centies mille *Homerici Stentores*,

nis intumescit et exundat. Elegit vero *Deus* traiectui hebraeorum tempus istud exundationis, ut tanto maius ac patentius esset miraculum, et ut animos iisdem adderet; chananaeos vero ad interitum maturos terrore comperet.

(3) II. *Machab.* c. 12, v. 13.

(4) Inter hos non solum sunt hostes religionis, sed iisdem etiam alii quidam hanc in rem argumenta philosophica suppeditarunt, nimirum p. *Marinus Mersennus* commentar. in *Genesis*, et *Daniel Georgius Morhoftus* in *Hyaloclaste*, sive libello suo de scypho vitreo per certum humanae vocis sonum fracto, qui prodiit *Killiae* Holsatorum an. 1683. Sed demum ambo hi duo celebres viri, postquam omnes philosophiae naturalis angulos perpertarunt, nullumque explicandae sine miraculo huic rei sat aptum modum invenerunt, ingenue fassi sunt, collapsum murorum hierichuntinorum accensendum esse miraculis.

iisque maxima cornicinum, liticinum, tubicinum et tympanistarum multitudo associari; pueri etiam et puellae cum nolis; et crepitaculis aggregari, ut ingenti vociferatione, et reduplicato diversissimorum instrumentorum sonantium clangore ac strepitu muros prosternerent. En! in quantas absurditates memorata explicatio desinat, et quam ex omni parte ridiculum illius emicet.

At INQUIES: Vis soni ad frangenda corpora negari nequit. Notum est *Nicolai Peteri* oenopolae amstelodamensis exemplum, qui solo vocis prolatae sono vitra quaevis diffregit. Praeterea sonus eiusque effectus in locis montibus aut alio modo clausis intenditur. Adde, quod exercitus israelitarum in circulo circa urbem *Iericho* positus, pleno gutture vociferatus sit. Et quid si ipsi huius urbis muri fuerint vetustate exesi, et ad ruinam prони? quid si infirmo nixi fundamento? quid si gravitatis centrum pristinum iam mutaverit situm? Certe quod haec moenia iam fuerint suffossa, ad lapsum prona, ac sono, quo sternerentur, recipiendo aptissima, inde colligitur, quia in libro Talmudico *Tamid.*, c. 3, § 8 narratur in *Hierichunte* urbe auditum fuisse sonum, quoties aenea templi porta *Hierosolymis* fuerat aperta. R̄. Omnia haec argumenta, quamvis incauto imponere possent, tamen probe examinata citius quam ierichuntini muri corruunt. Nam vitrum a sono ad octavam surgente, vel eam superante dirumpi haud mirum est; sed mirum, deiici muros: vitri constructio alia longe, quam murorum est. Haud procedit argumentatio a minori ad maius, a minimo, fragili, tenso vitro, ad maximum,

(1) De bello iudaico, l. 5, c. 4.

(2) Quaest. 5

ad firmissimam murorum compagem. Porro fuit *Iericho* urbs non in angusta valle, montibus undique clausa, sed sita in planitie, cui mons nudus ac sterilis imminet; ita describitur a *Iosepho* (1). Neque vociferatio aut clangores circum-euntis exercitus israelitici muros sternere poterant, ut iam supra ostensum est, ac ex eo patet, quia sonus tubarum et populi confusaneus non recta versus ierichuntinos muros tendebat, ut solent hodie tormenta bellica in eadem vel parallela directionis linea locari contra fortalitii muros; sed ad latera quaquaversus diffundebatur in omnem aëra. Imo etiamsi eandem et recta versus muros ierichuntinos omnis sonus habuisset directionem, nil effecisset; sicut tormenta bellica non sono deiiciunt muros, aperturasque faciunt, sed globis multarum librarum ferreis, ingenti vi explosis. Caeterum posito licet, fuisse muros *Iericho* vetustate exesos et ad ruinam pronos, collapsi fuissent vel sponte, vel non hac praecise solemnitate occasione, vel non omnes, sed hic ibi aliquae partes. Iam autem collapsae sunt omnes, ut infra (2) ostendetur: item collapsae sunt in circumstantiis plane singularibus, licet ad murorum ruinam naturaliter nil conferentibus prorsus, videlicet instituta per septem dies processione, septem tubis, quarum in iubilaeo usus erat etc. (3). De quibus omnibus id tandem concludere licet, quod praedicat *Paulus* (4): *Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem q. d.* Non suffossione, non arietibus, non impactu soni, aut aliis mediis naturalibus, sed fide, qua et *Iosue* et hebraei crediderunt, et obediverunt

(5) *Iosue*, c. 6, v. 3, 4, 5, 12, 15, 14, 15 et 20.

(4) Ad Hebr. c. 11, v. 30.

Deo promittenti, quod circumeundo urbem septem diebus cum arca clangore tubarum et clamore populi, muri eius, licet firmissimi, corruerent, muri hi reipsa corruerunt. Unde etiam *s. Chrysostomus* (1) de murorum ierichuntinorum deiectio- ne loquens, ait: *Non enim sonus tubarum potest muros deiicere, etiamsi mille annos sonuerit: sed fides potest omnia.*

SCHOLION I. Mira illa soni propagatio a templo hierosolymitano usque ad urbem *Iericho*, de qua in praecedente obiectione, ex libro talmudico *Tamid* mentio facta est, fabula esse videtur. Teste enim *Calmeto* (2) septem circiter milliariibus *Iericho* distat a *Ierosolyma*. Quis autem credat, strepitum aperturae portae aeneae in templo hierosolymitano per septem milliaria propagatum esse? Accedit, quod in eodem libro talmudico loc. cit. alia quoque vix ac ne vix quidem credibilia narrentur, e. g. quod in *Iericho* etiam auditus fuerit sonus organi cuiusdam in templo hierosolymitano pneumatici: item sonus sacerdotis collegas officii sui admonentis. Adhuc absurdus desipiunt illi cabbalistizantes rabbini, qui e-versionem murorum urbis *Iericho* explicaturi, ad astrologiam confugiunt, dicentes, tubas sacerdotum singulari astrorum influxu ab Intelligentiis coelestibus, imprimis *Sephiroth* (3), ita fuisse tensas et vel-

(1) *Homii*, 27 in ep. ad Hebr.

(2) In Diction. bibl. v. *Iericho*.

(3) *Sephiroth* hebraea vox splendores significat. Plura de his *Calmet* in Diction. suo biblico.

(4) Tractatu de eucharistia.

(5) Lib. exemplorum politicorum, c. 2.

(6) Haec opinio teste *Scheuchzero* tom. 2 physicae sacrae, pag. 452 (quamvis ipse eandem non amplectatur) est *Isidori Clarii*, *Ludovici de Tena*, *Quistorpii*, et quorundam aliorum.

uti animatas, ut murorum collapsus sequi necessario debuerit.

SCHOLION II. Deiectio murorum ierichuntinorum simile exemplum etiam in lege gratiae reperimus. Cum enim *Robertus* Francorum rex *Avallonem* urbem obsideret, intereaque temporis precibus vacaret, unaque cum sacerdotibus psalleret; illius muri subito corruerunt, sicque obsidentibus copiis in urbem aditus patefactus est, uti narrat *Esperencaeus* (4), et *Lipsius* (5).

3. QUÆRES III. *Quid sentiendum sit de illa quorundam* (6) *sententia, qui putant, non omnes in toto ambitu urbis Iericho muros fuisse collapsos, sed eos praecipue, qui exercitui israelitico fuere expositi?* R̄. Haec opinio non concordat cum s. Scriptura, praesertim iuxta sensum LXX interpretum accepta. Neque enim dubium est, urbem cinctam undique fuisse ab exercitu hostili iuxta praeceptum Domini (7), quod Septuaginta his verbis expriment: *Κυκλώσατε τὴν πόλιν πάντες ἄνδρες πολέμου κύκλω τῆς πόλεως, circumdate civitatem omnes viri belli in circuitu urbis.* Sat certum quoque est, omnes in toto ambitu urbis muros fuisse collapsos iuxta illud (8): *καὶ ἐπεσεν τὸ πύργος κύκλω, et cecidit murus in circuitu.* Et ita quoque ascendere poterat unusquisque in urbem per locum, qui contra se erat (9) aggressu universali in omnibus (ut ita loquar) peripheriae punctis.

4. QUÆRES IV. *An sol ad imperium Iosue vere steterit* (10), *ita, ut*

(7) *Iosue* c. 6, v. 3.

(8) *Ibidem* v. 20.

(9) *Ibid.*

(10) Hoc loco non examinamus, sed philosophis et mathematicis examinanda relinquimus celebrem illam quaestionem physico-astronomicam, utrum sol circa terram (ut *tychonici* volunt) vel vicissim terra circa solem (ut *copernicani* contendunt) moveatur? Abstrahendo igitur ab hac controversia inter ipsos etiam catho-

dies reapse prolongatus fuerit? Antequam respondeam, synopsis sacrae huius historiae enarrare iuvat. Cum dux *Iosue* hostes israelitarum in fugam dedisset, Deo ipso lapidea grandine hostilem exercitum conterente, iamque sol in occasum vergeret, *Iosue*, fuis ad Deum precibus, et fiducia incredibili in solis et lunae Creatorem animatus, solem et lunam iussit consistere, ne nimirum vicina nox praesidio hostibus foret. Verba s. Scripturae hanc rem narrantis (1) sunt: *Cumque (hostes) fugerent filios Israël in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de coelo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israël. Tunc locutus est Iosue Domino..... dixitque coram eis (israelitis): Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Stetit itaque sol in medio coeli, et non festinavit occumbere spatium unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israël.* Narratione mirabilis huius facti praemissa, iam quaeritur: An sol et luna ad imperium *Iosue* steterint? Qui hoc miraculum negant, diversos s. Scri-

licos in utramque partem disputari solita, in unum contra deistas, aliosque incredulos hic inquirimus, an ad imperium *Iosue* sive sol, sive terra vere steterit, ita ut dies reapse fuerit prolongatus; prout in l. *Iosue*, c. 10, narratur.

(1) Lib. *Iosue*, c. 10.

(2) Hanc explicationem probabilem vocare ausus est *Grotius*, quamquam non neget, quod Deus cursum solis continere, aut eius imaginem, etiam post occasum, refractis nempe in obiecta nube radiis, repraesentare supra nostrum horizontem potuisset. Verba *Grotii* annot. in *Iosue* sunt haec: *Maimonides et hebraei, quos*

pturae verba interpretandi modos excogitarunt. Rabbi *Levi* filius *Gersonis*, aliique nonnulli hebraeorum magistri, ne concedant, *Moysem* a duce *Iosue* inhibiti solaris cursus gloria superatum fuisse, dicere non dubitabant, solem reipsa non substituisse, neque duces *Iosue* id petiisse, sed verbis illis, *Sol contra Gabaon ne movearis* etc. id optasse unum, ut ante noctem hostes penitus profligaret: perinde ac si dixisset: *Da, Domine, ut priusquam sol et luna occidant populus tuus plenissimam de hostibus victoriam obtineat; Deumque id unum effecisse, ut israelitae brevi illo, quod supererat, eius diei spatium, tantam ediderint hostium stragem, cui perficiendae solidus dies vix sufficiens esset* (2). Aliam fabulosam sacri textus expositionem afferunt *Scem Tob* iudaeus, et *David Kimchi*, qui volunt, Deum post solis occasum novi generis corpus in coelo condidisse, quod solem repraesentarent, et eius vice orbem terrarum illustraret, dum hostium strages ab israelitis plenissime confecta esset. Ab hac interpretatione non multum recedunt *Spinoza* (3), aliique e naturalistarum grege, qui ut miraculum de statione solis ad imperium *Iosue* eluderent, et ad communes naturae leges revocarent, pronuntiant, dictam solis stationem nihil

citatur *Masius*, nullum hic miraculum agnoscunt, sed phrasin poetice, quasi sol expectasset, donec occisio hostium perfecta foret. — Et iam sequitur, Deum voci hominis se accommodasse, non quidem solem sistendo, sed pugnando, id est, pugnantis vires et invictum contra labores animi subministrando, immittendo praeterea lapides pro grandine. Haec ita non improbabiler dici possunt: Quamquam impossibile Deo non est, solis cursum morari, aut etiam post solis occasum speciem eius in nube supra horizontem extanti per repercussum ostendere.

(3) In tractatu theologico-politico, c. 2.

aliud fuisse, quam luminum quoddam phaenomenon in aërea palae-stini coeli regione conspicuum, sive parelion in grandinosa quadam nube efformatum. Sic *Spinoza* loc. cit. ait, iudaeos ut physicae prorsus rudes, ac inexpertos, ex ruente tum grandine ortam radiorum solarium refractionem habuisse pro ipso sole. Verum omnes hasce opiniones in suum commentarium in l. *Iosue Clericus* collegit, adoptavitque, quin et plus aliquid adiciendum illi visum est; prout testatur *Calmet* in sua dissertatione hac de re.

¶ Et dico: *Sol et luna reipsa steterunt, Deo ad votum Iosue miraculum operante.* Probatur haec propositio ex Scriptura sacra, id clarissimis verbis supra recitatis referente et asserente. Qui enim haec verba Scripturae dumtaxat phrasin poetice esse censent, iisque solummodo tantam *Iosue* in conficienda hostium internecone innui celeritatem volunt, ut dies prolongatus esse videretur, ii turpiter hallucinantur. Quis enim auctor aut sacer aut profanus ita unquam celeritatem descripsit? Quis orator vel poeta, nedum historicus, huiusmodi metaphora vel hyperbole usus unquam est, ad alicuius imperatoris velocitatem in bellicis expeditionibus exprimentam? Qui vero dicunt novum corpus vicarium solis Deum supra horizontem creasse, quod post illius occasum orbem illustraret, nova fingunt miracula, dum e contrario illud miraculum impudenter ac temere negant, quod Scriptura sacra discrete commemorat. Denique illi qui dictam solis stationem nihil aliud fuisse asserunt, quam parelion, aut refractionem solaris lucis, non attendunt, quod hoc ipso miraculum admittere debeant in con-

(1) *Iosue*, c. 10, v. 13.

(2) *Ecclesiast.* c. 46, v. 5.

servando tamdiu post solis occasum parelio, ut sol occiduis spatium unius diei cursum sistere videretur. Nam vel sol infra horizontem demersus cursum suum continuavit, vel non. Si primum: ergo parelion spatium unius diei naturaliter perdurare non potuit, ut quilibet non omnino rudis facile perspicit. Parelion enim seu refractione lucis solaris tam vivax, ut imaginem solis diemque exhiberet, plane non potuit tamdiu perdurare, siquidem sol reapse occubisset, et infra horizontem cursum continuasset. Si secundum: ergo hoc ipso miraculum solis in suo cursu inhibiti admittitur. Dein si adversarii stationem solis ad imperium *Iosue* per phaenomenon parelii explicare velint, debent eodem modo stationem lunae per paraselenem explicare: *Steteruntque sol et luna* (1). Quomodo autem citra miraculum parelion ex intensis radiis solaribus reflexis, et paraselene ex debilissimis eiusmodi radiis ortum in coelo simul apparere potuerunt, et quidem tanto tempore, ut una dies fieret quasi duo (2)?

CONFIRM. I. Iuxta regulam d. *Augustini* (3) interpretandi s. Scripturas ab omnibus orthodoxis interpretibus et theologis receptas, verba s. Scripturae in senso proprio et literaliter accipienda et explicanda sunt, quando nihil ex illis sic acceptis sequitur falsi, absurdi, impossibilis, vel contra veritatem fidei aut bonos mores. Quod autem sol reipsa steterit inaudito antea miraculo, nihil continet falsi, absurdi aut impossibilis, nec pugnat contra veritatem fidei aut bonos mores. Certe nihil tale ostendere possunt adversarii. Illa igitur statio solis proprie accipienda est, et miraculo tribuenda (4). Atque ita ac-

(3) L. 8 de Genesi ad litteram, c. 7.

(4) Neque dicas: Si verba s. Scripturae

cepit *Habacuc* propheta cap. 3, ubi inter alia divina miracula, quae ibi enumerat, istud commemorasse videtur his verbis: *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*. Sic accepit etiam *Iesus Sirach* Ecclesiastici cap. 46, dicens: *An non in iracundia eius (id est, ex zelo et ira Iehoschuae contra hostes Dei) impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contragentem hostilem et in descensu perdidit contrarios, ut agnoscant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile*. Profecto haec tam sunt perspicua et manifesta, ut si victoria ducis *Iosue* cum statione solis et lunae, sine miraculo, solis naturae viribus effecta est, scriptores sacri velut quadam conspiratione incautis lectoribus imponere voluisse videantur.

de statione solis ad imperium *Iosue* in sensu proprio accipienda sunt, omnino sequitur, quod sol circa terram vere moveatur, quod tamen copernicani et plerique philosophi et mathematici hodie negant. Nam *W.* Non diximus absolute et absque ulla limitatione aut exceptione verba s. Scripturae proprie et in stricto literalis sensu sumenda esse, sed addidimus hanc limitationem: *Quando ex verbis Scripturae sensu proprio et stricto acceptis nihil falsi, absurdi, etc. sequitur*; sicut nihil tale sequitur, si sacer textus de statione solis ad imperium *Iosue* sic intelligatur, quod sol sive vere sive apparenter ita steterit, ut dies reapse, vere et proprie fuerit prolongatus. An vero sol reapse vel apparenter duntaxat tunc steterit, est quaestio impertinens ad alteram quaestionem, utrum dies tunc vere prolongatus fuerit? * Sive enim sol, sive terra reapse tunc steterit (dummodo alterutrum contigerit), iam verissimum est, quod dies tunc vere prolongatus fuerit; quod unicum contra incredulos hic propugnandum suscepimus. An vero sol (ut

* Ergo vere dies potuit prolongari prodigiosa solarium radiorum refractione (Nota editoris).

CONFIRM. II. ex ss. patribus tam graecis, quam latinis, qui aperte asseverant, solem ad imperium *Iosue* non sine coelesti prodigio stetisse. Sic ex graecis s. *Iustinus M.* (1) ad *Tryphonem* iudaeum ait: *Accepistis terram (promissionis) tanta virtute fuis fugatisque hostibus, ut sol ipse cursum suum sisteret, spectando res gerentem ducem Iesum recens cognominatum, et per triginta sex horas differret occasum. Alia quoque inter vos patrata sunt prodigia etc.* Et s. *Chrysostomus* (2) cogita, inquit, quanta res sit vir iustus. Dixit *Iesus Nave*, STET SOL CONTRA GABAON, ET LUNA CONTRA VALLEM AIALON, et factum est: *Veniat ergo universus orbis terrae, imo vero duo, et tres, et quatuor, et viginti orbis terrae, et dicant, et hoc faciant. Sed non poterunt. Dei autem amicus, amici imperabat creaturis: imo vero amicum suum rogavit, et cedebant, quae serviebant, et inferior imperabat supernis*. Ex latinis vero patribus *Ter-*

tychonicis volunt) vel terra (ut copernicani, vel neutoniano - copernicani contendunt) tunc steterit, est quaestio astronomico-philosophica; sique copernicani pro suo systemate veram demonstrationem attulerint, aut iam attulerunt (id quod philosophis et mathematicis examinandum relinquimus), Ecclesia non erit invita, si sol ad imperium *Iosue* solum apparenter stetisse dicatur. Ita iam olim p. *Honoratus Fabri*, Romae ad s. Petrum poenitentiarium (prout acta philos. societ. regiae anglie. ad annum 1665 mense iun. testantur) cuidam copernicano in haec verba rescripsit.: *Ex vestris coryphaeis non semel quaesitum est, utrum aliquam haberent demonstrationem pro terrae motu adstruendo; nunquam ausi sunt id asserere. Nihil igitur obstat, quin loca illa in sensu literalis Ecclesia intelligat et intelligenda esse declaret, quamdiu nulla demonstratione contrarium evincitur, quae si forte aliquando a vobis excogiletur, in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare, loca illa in sensu figurato et improprio intelligenda esse.*

(1) In dialogo cum *Tryphone*.

(2) Homil. 27 in epist. ad Hebr.

tullianus (1) inquit: *Iesum Nave debellantem amorrhaeos, prandisse illa die existimamus, qua ipsis elementis stationem imperavit? Stetit sol in Gabaon, et luna in Aialon... Non fuit dies talis retro et in novissimo, utique tam prolixus; ut exaudiret Deus hominem etc.*, scilicet ducem *Iosue*. Similiter s. *Hieronymus* (2) ita scribit: *Iesus filius Nave stationem imperavit soli et lunae, et in diem plus quam unius diei, victoris exercitus protelavit*. Denique s. *Augustinus* (3) ait: *Nos autem in divinis libris legimus, etiam solem ipsum stetisse, cum hoc a Domino Deo petivisset vir sanctus Iesus Nave, donec coeptum praelium victoria terminaret... Sed ista quoque miracula, quae meritis sunt concessa sanctorum, quando credunt isti (gentiles) facta, magicis artibus (4) tribuunt*. Sed audiamus argumenta adversariorum.

OPPONUNT I. Si sol (vel iuxta systema copernicanum, terra) ad imperium *Iosue* vere stetisset, prodigium hoc attentum habuisset universum orbem; et tamen nullus profanorum scriptorum vel verbulo eius meminit; etsi eorum haud pauciores multas alias minoris momenti accurate persequantur. R. Scriptores profani omnes, quorum notitiam habemus, *Iosue* sunt multo iuniores. Nam non est scriptor aliquis gentilis assignabilis, qui sit antiquior aut coaevus *Moyse* et *Iosue*: ut iam alibi (5) demonstravimus. Et quamvis fortassis ante *Moysem* fuerint aliqui sapientes seu philo-

(1) L. de ieiuniis cap. 10.

(2) Lib. 2 contra *Iovinianum*.

(3) L. 21 de civitate Dei, c. 8.

(4) Solemne quippe fuit gentilibus, imo et haereticis miracula sanctorum magicis artibus adscribere, ac nihil divinitatis eis inesse, impie blasphemare. Vid. *Michaël Medinam*, lib. 2 de reeta in Deum fide, cap. 7

sophi gentiles, ii tamen vel nihil scripto posteris reliquerunt, vel certe ipsorum scripta et libri iam diu interierunt. Nec enim gentilium libri, quorum notitiam habemus, quidquam eorum, quae ante bellum troianum acciderunt, commemorant, praeter pauca; quae ipsa ex sacris literis cum percepissent, alieni a vera religione homines, sua conspurcarunt vanitate. At bello troiano vetustiores sunt res a *Iosue* gestae annis circiter trecentis aut omnino mille, si *Theophilo Alexandrino* ad *Autolycum* scribenti credimus, ut *Andreas Masius* (6) cum aliis ait.

At QUERES: Cur posteriores scriptores ethnici iosuanum miraculum ex libro *Iosue* non descripserint, et in scripta sua transtulerint? R. causam potuisse esse multiplicem, videlicet quia tam stupendum, et aliquot aut etiam multis retro saeculis patratum miraculum non crediderunt, aut quia librum *Iosue* ad manus non habuere, aut denique quia noluerunt rem enarrare in laudem hebraeorum et religionis iudaicae, quae idololatriam et idololatrias tantopere detestabatur. Caeterum aliquod vestigium memorati grandis miraculi deprehendimus in pervetustis sinensium annalibus, in quibus teste *Martino Martinio* (7) narratur, quod regnante *Yao* septimo sinensium imperatore, *Sol diebus decem non occiderit*; cui narrationi miraculum solis ad imperium *Iosue* stantis et apud sinas quoque visibile occasionem dedisse videtur; quamvis sinenses illi annalistae, quemadmodum in aliis (8)

(5) Vide p. 4. s. Scripturae contra incredulos propugnatae, sect. 1, q. 2.

(6) Comment. in l. *Iosue*, c. 10, v. 42.

(7) In sinensis historiae, l. 4, pag. 23, edit. monacens. an. 1638.

(8) Vide p. 4 s. Scripturae contra incred. propugu. sect. 1, q. 4.

faciebant, fabulam admiscuerint, et rem exaggerantes, uni diei, quo sol ad imperium *Iosue* stetit, decem dies substituerint.

OPPON. II. Apostolus in epistola ad hebraeos (1) recensens prodigia testamenti veteris de isto (nempe de statione solis ad imperium *Iosue*) altum silet; licet hoc unum ex praecipuis dicendum esset. $\text{\textcircled{R}}$ Silentium hoc magni ponderis foret, si *Paulus* loc. cit. prodigia testamenti veteris non aliqua solum, verum omnia percensisset. Sed tantum summatim nonnulla ibidem attingit, ut consideranti patebit, aliaque non pauca et *Moyses* et aliorum miracula praetermittit, quae tamen in dubium revocari non possunt. Unde apostoli silentium de miraculo stationis solis ad imperium *Iosue* tam parum probat, id factum non esse, quam parum unius evangelistae silentium probat, falsum esse quod ab altero narratur. Praeterea quamvis *Paulus* ad hebraeos miraculi illius iosuani non meminerit, tamen illud *Ecclesiasticus* cap. 46, v. 5 inter laudes ducis *Iosue* commemorat.

OPPON. III. Hac ratione *Iosue* gloria miraculorum superasset *Moysem*, qui nunquam solem stare fecit: sed haec sequela admitti nequit; cum iuxta s. Scripturam (2) *Moyses* gloria miraculorum caeteros viros divinos omnes antecelluerit. $\text{\textcircled{R}}$ *Moyses* quidem *plura* fecit miracula, habuitque maiorem prae aliis prophetis familiaritatem cum Deo, et quoad omnia simul spectata, seu quoad prophetarum dotes et munia simul sumpta, aliis prophe-

(1) Cap. 11.

(2) Deuter. c. 34, v. 10, 11 et 12.

(3) Christus Ioan. c. 14, v. 12, ait: *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet: quasi dicat: Qui cre-*

dit in me ut filium Patri consubstantialem, hic vi et virtute huius fidei similia miracula et opera divina faciet, qualia ego facio, imo maiora faciet, quam faciam ego. Ita *Tirinus* cum aliis interpretibus antefereendus est, ut s. *Thomas* 2^a 2^a quaest. 174, art. 4 distincte explicat; nullibi tamen s. Scriptura asserit, quod prophetarum nemo tam magna miracula in particulari fecerit: nam et alii prophetae et viri sancti quaedam paria et maiora patrarunt. Sic *Moysem* mortuos suscitasse non legimus, quod tamen ab aliis factum est. Equidem Deuter. cit. loc. dicitur: *Non surrexisse ultra prophetam in Israël, sicut Moysem, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum, ut faceret in terra Aegypti..... magna-que mirabilia, quae fecit Moyses coram universo Israël.* Sed haec solum probant, quod nemine mortali-um vel ante vel post, usque ad Christum Dei Filium tam sit familiariter usus Deus, atque *Moyse* usus est; quod nemo tot et tam terribilia miracula patrauerit, quot et quam terribilia ille patrauit in Aegypto, et coram universo Israël; non autem, quod nemo maiora ei admirabilia fecerit. Quamquam maius non sit solem et lunam sistere, quam mare dividere, et per medium illius, stantibus hinc et inde murorum instar aquis, populum sicco itinere traducere. Nam universim loquendo, in patrandone prodigio non est maior difficultas, quam in altero: omnia enim aequae superant communes naturae leges. Denique cum Christus (3) dixerit, eos, qui in ipsum crediderint, virtute fidei similia facturos miracula his, quae ipse fecit, et his *maiora*; quid mirum, si etiam *Iosue* maius miraculum patrauerit, quam *Moy-*

ses?

OPPON. IV. Si dies tamdiu durasset, ut una feret quasi duo (1), milites ducis *Iosue* diuturno aestui expositi et praeliantes omnibus viribus defecissent. $\text{\textcircled{R}}$ Cum aestus interior exteriori praevalet, multa possumus, quae solitae vires ferre non possent. Sed et auctas israelitis vires *divinitus* reor, ut tamdiu pugnarent. Nos igitur omnem hanc curam, sollicitudinem omnem, quomodo milites iosuani tamdiu pugnare potuerint, Deo remittimus, qui manus populi sui reddidit pugnaces, et animos fortes, tantique momenti miraculo socios pro immensa sua potentia valuit iungere vires. At

QUAERES: Quomodo stare possit veritas illorum Scripturae verborum (2): *Non fuit antea, nec postea tam longa dies?* Siquidem dies *Ezechiae* regis (3) longior fuit, quippe horarum triginta duarum. Sol enim retrocessit decem gradibus: decem ergo horae consumptae sunt in retrocessione, et totidem in reversione ad priorem locum. Accedit, quod etiam in regionibus polaribus longe diuturnior sit dies, quam fuerit illa tempore *Iosue*. $\text{\textcircled{R}}$ Iuxta communem interpretum s. Scripturae (prout alibi (4) ostendimus) certum non est, quod sol tempore *Ezechiae* regis sensim regressus sit, et in illa reciprocatone, qua a linea decima ad primam revocabatur, decem solidas horas consumpserit. Potuit enim, ita volente Deo, uno quasi momento transilire, ac deinde a prima linea sensim ad decimam alias horas decem conficere. Sicque totus ille dies horis viginti duabus fuerit absolu-

(1) Ecclesiast. c. 46, v. 5.

(2) *Iosue* c. 10, v. 14.

(3) IV. Reg. c. 20, v. 11.

(4) De hoc redibit sermo in quaestionibus in librum IV Reg.

tus; cum iosuanus minimum viginti quatuor duraverit (5). Addit *Natalis Alexander* (6), quod in obiectis s. Scripturae verbis neget quidem historicus sacer, ullam diem tam longam vel antea vel postea fuisse, nempe usque ad ea tempora, quibus haec scripsit: at non negat, diem longiorem post sua tempora futuram.

Porro, quod de longa diei duratione in regionibus polaribus in obiectione dictum est, minime obstat veritati s. Scripturae. Nam et verbum Dei verum est, et assertio mathematicorum de longa duratione diei prope polos vera est. Verum est, neque fuisse antea, neque postea tam longam diem in regione *Gabaonitide*, qualis fuit praecipiente miraculum *Iosue*. Sed non extendendum miraculum illud et longitudo diei illa extra *Gabaonem* ad regiones alias. Verissimum enim est, in regionibus polaribus longiores multo fuisse et futuras dies die illa, qua ad imperium *Iosue* sol stetit, et una dies facta est quasi duo: dantur enim sub polo habitantibus dies, non quasi duorum dierum, sed revera 182 dierum, et ultra.

OPPON. V. Observationes astronomicae omnes fallunt, si tanta intercapedo, ac veluti geminatus ad imperium *Iosue* dies adstruatur. $\text{\textcircled{R}}$ cum cl. *Usserio* (7), et dico: Cum sol et luna simul et coeperint et desierint stare, haec mora nihil turbat calculos astronomorum. In concentu musico harmonia salva manet, modo voces in signo aliquo concursus quiescant, et post ad suas quaeque vox leges symphoniam pro-

(5) Vide *Tirinum*, aliosve interpretes comment. in *Iosue* c. 10, v. 14.

(6) *Histor. eccles. tom. 2* in quartam mundi aetatem dissertat. 15 in fine.

(7) In annalibus veteris Testamenti, part. 1, aetate 4 ad annum mundi 5291.